(6 Sch.

PROPOSITIONES
EX TRACTATU
DE SACRAMENTIS IN GENERE DECERPTÆ,

QUAS SUB AUSPICIIS

Illustrissimi, ac Reverendissimi Præsulis

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICETINI

DUCIS MARCH. ET COMITIS &c. &c.

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

PETRUS MARTINATO

SEMINARII VICETINI ALUMNUS,

PRÆCEPTORE ET ADJUTORE

BARTHOLOMÆO RASIA-DANI

In eodem Seminario S. Theol. Lectore.

Data unicuique post tertium arguendi facultate More Accademico.

In nullum nomen Religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum aut sacramentorum visibilium consortio colligentur.

Aug. l. 19. contra Faustum c. 11.

I.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (*a*). Hos ut a peccati jugo liberaret opportuna & efficacia remedia pro sua, qua pollet, infinita misericordia instituit Deus O. M. *per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur* (*b*).

II.

Sunt in lege nova hujusmodi remedia, signa nempe, quæ gratiam tum significant, tum conferunt. Id autem cuilibet innotescere facile potest, qui hæc præsertim perpendat: *Petrus vero ad illos: pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum vestrorum* (*c*), & : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii* (*d*),

A 2 III.

(*a*) Rom. 5. 12.
(*b*) *Trid. Sess. 7. Proem.*
(*c*) *Act.* 2.
(*d*) 1. *Tim.* 4.

III.

Hujusmodi signa Sacramenta dicuntur novæ legis, quæ ita definiri solent a catholicis: Sacramentum est signum sensibile a Deo institutum, quod gratiæ tum significandæ, tum conferendæ vim habet; hinc Aug.: *Sacramentum est sacræ rei signum* (*a*).

IV.

Rejicienda itaque est definitio, quam tradit Socinus: *Sacramentum est nudum & simplex signum, quo Christianus a Judæo vel Gentili distinguitur* (*b*); Tota enim & adæquata Sacramentorum natura per illam non exprimitur.

V.

Ad eamdem plagam amandanda est definitio Calvini: *Sacramentum externum est symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem* (*c*): scilicet omnis efficacia Sacramentis per eam adl-

(*a*) *L.* 10. *de Civ. Dei c.* 14.
(*b*) *Disp. de Bapt.*
(*c*) *Lib.* 4. *instit. c.* 14.

adimitur, & in solam fidem refunditur, nec sufficiens est ad naturam Sacramenti exponendam.

VI.

Quæ diximus satis evincunt, ab hominibus Sacramenta institui non posse. Cum enim gratia divina sit quædam participatio naturæ Dei, arrha Spiritus Sancti, & pignus cælestis hæreditatis, quænam creatura poterit eam ita elemento sensibili colligare, ut corpus tangat & animam sanctificet?

VII.

Quare nemo, nisi præpotenti ac divina natura præditus, instituere Sacramenta poterat.

VIII.

Christus ergo homo-Deus auctor est Sacramentorum novæ legis.

IX.

Ex natura Sacramentorum sequitur etiam, per ea gratiam conferri vi actus externi & congruo modo hominibus applicati citra meritum suscipientis seu administrantis; scilicet juxta scholæ loquendi modum a Trid. Patribus usurpatum *ex opere operato* (*a*).

(*a*) *Sess. 7. can.* 8.

X.

Efficaciam tamen Sacramentis non ita vindicamus, ut prosint etiam ponentibus obicem; idest iis, qui, dum possunt, præviis fidei, spei, aliarumque virtutum motibus se non præparant. Hinc Aug. *Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te* (a).

XI.

Turpiter igitur in errorem inciderunt Donatistæ, dum totam Sacramentorum efficaciam in sanctitatem ministri & suscipientis dispositionem refundebant, eaque gratiam producere *ex opere operantis* contendebant.

XII.

Nec aliud dicendum est de Novatoribus, qui Sacramenta novæ legis gratiam producere negarunt, non alium effectum iisdem tribuentes, nisi ut confirment fidem, seu persuasionem, qua Fideles certo credant, sibi peccata non imputari.

XIII.

Fatemur quidem, hunc dicendi modum *ex ope-*

(a) *Serm. 15. de verb. Ap.*

opere operato quoad effectum Sacramentorum designandum priscis temporibus in usu non fuisse; ob hanc tamen vocabulorum novitatem non est, cur adeo in nos insurgant Eterodoxi; siquidem illa non ad novitatem doctrinæ introducendam inventa fuerunt, sed potiùs ad veterem commode enuntiandam.

XIV.

Porro hujusmodi novitates non illæ sunt, quas arguit Paulus hisce verbis (*a*): *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*. Scilicet Apostolus non loquitur de iis vocibus, quæ Ecclesiæ adprobatione ad antiquam doctrinam exprimendam quandoque introduci consueverunt.

XV.

Cæterum Hæreticos nequaquam juvant Apostoli verba; *Justitia Dei per fidem Jesu Christi* (*b*). *Corde creditur ad justitiam* (*c*). *Arbitramur hominem justificari per fidem* (*d*). Ex his enim hoc unum colligi poteſt, nempe in justificationis negotio primas esse fidei partes juxta illud (*e*): *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justifica-*

A 4

(*a*) 1. *Tim.* 6. (*b*) *Rom.* 3. 22.
(*c*) *Ib.* 10. 10. (*d*) *Ib.* 3. 28.
(*e*) *Trid. Sess.* 6. *Can.* 8.

ficationis, *sine qua impossibile est placere Deo*; Unde Apostolus ipse (*a*) : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*.

XVI.

Scilicet fides, aliæque virtutes non sunt causæ effectrices gratiæ, quæ per Sacramenta obtinetur, sed simplices & meræ dispositiones, quæ in iis requiruntur, qui sunt rationis compotes, ut gratiam a Sacramentis consequantur.

XVII.

Hinc patet, verba, quæ cum elemento Sacramenta constituunt, non esse *promissoria* vel *concionalia*, sed *consecratoria*, ut colligi potest etiam ex Aug.: *Hoc est verbum fidei*, *quod prædicamus*, *quo sine dubio*, *ut mundare possit*, *consecratur & baptismus* (*b*). Scilicet finis proximus eorumdem non est fidem excitandi aut divinas promissiones in nobis obsignandi, sed symbola consecrandi, ut efficaciam acquirant.

XVIII.

Quod exposuimus profecto effatum scholarum a nemine judicari potest; est enim Catholicum dog-

(*a*) *Tit.* 3. 5.
(*b*) *Tract.* 80. *in Jo.*

dogma a Trid. definitum: *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam; sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit* (*a*).

XIX.

Tria porro concurrere ad conficiendum sacramentum; materiam nempe, formam, & intentionem asserit Eug. IV. *Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum* (*b*). Nos tamen duobus primis, materia nempe & forma, circa quas a scholasticis nonnullæ levioris momenti quæstiones agitari solent, non immoramur; sed statim ad tertium apud Theologos celeberrimum gradum facientes asserimus, intentionem faciendi quod facit Ecclesia adeo necessariam esse, ut si desit, nullum efficiatur Sacramentum.

XX.

Porro hujusmodi necessitas placitum scholarum non est, de quo salva fidei compage dispu-

(*a*) *Sess. 7. can. 8.*
(*b*) *Decr. pro Arm.*

putari possit. Nimirum ita definiit Trid. post Eug. decretum: *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit* (a).

XXI.

Inde tamen nullo modo sequitur, ad valorem Sacramenti in ministro requiri explicitam intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Nam sufficere potest etiam implicita.

XXII.

Neque opus est, ut minister bene sentiat de Ecclesia Cath. Romana. Quidquid enim de ipsa cogitet, ratum erit Sacramentum, modo vere intendat facere quod facit Ecclesia Christi, qualiscumque tandem illa sit sive apud Catholicos, sive apud Hæreticos.

XXIII.

Hinc prono alveo fluit, validum esse posse Sacramentum, etiamsi minister existimet, subjecto non conferri ejusdem Sacramenti effectus, & signum illud prorsus inefficax arbitretur.

XXIV.

(a) *Sess. 7. Can. 11.*

XXIV.

Validum igitur esse potest Sacramentum etiam ab Hæretico collatum, vel a Judæo, vel Pagano, quinimo ab Atheo ipso.

XXV.

Nimirum ad valorem Sacramenti, fidem in Ministro necessariam non esse fidenter asserimus.

XXVI.

Ipsa quoque Catholica Fides docet, valere Baptismum ab Hæreticis datum, modo omnia illa fervent, quæ ad ejus essentiam pertinent; siquidem Trid.: *Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filii, & Sp. Sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit* (*a*).

XXVII.

Validum pariter esse posse collatum a non baptizato, si omnia adhibeat, quæ adhiberi debent, confidenter asserimus, iis præsertim innixi, quæ respondit Nicolaus I. ad Bulgaros: *Hi*

(a) *Sess. 7. can. 4.*

Hi profecto (baptizati a non baptizato) si in nomine Trinitatis...., baptizati sunt .... constat eos non esse de novo baptizandos . Quare Eug. IV. in Decr.: *In casu necessitatis etiam Paganus baptizare potest* . Similia alii Pontifices non pauci (*a*).

XXVIII.

Quæ cum ita sint, multo magis irritum non esse Sacramentum a Catholico, etsi improbo scelestissimoque viro collatum, invicto animo sustinemus; modo nihil eorum desit, quæ ad illius essentiam requiruntur.

XXIX.

Igitur nihil profecere Apoſtolici stantes pro nullitate Sacramenti collati ab hominibus malis, quod videre est apud Bernardum (*b*).

XXX.

Non absimile judicium proferendum est de Waldensibus, Albigenſibus, Hussitis, iisque omnibus, qui in eodem luto hæserunt.

XXXI.

(*a*) *Habert in Dogm. c. 5. de Bapt.*
(*b*) *Serm. 66. in Cantica .*

XXXI.

Quæ dicta sunt circa validitatem Sacramentorum a Ministro improbo collatorum inter dogmata Cath. Fidei a Trid. definita sunt recensenda (a).

XXXII.

Hinc tamen nefas esset eruere, Sacerdotem, qui læthalis culpæ sibi conscius Sacramenta conficit extra necessitatis casum, quolibet omisso contritionis actu, licite id peragere, nullaque aggravari culpa. Illud enim certum & fixum unicuique esse debet, inter validum & licitum maximum interesse discrimen.

XXXIII.

Porro ratum non est Sacramentum, si minister irrisorie & mimice operetur. Etenim requiritur intentio, qua sibi proponat in animo id facere quod facit Ecclesia.

XXXIV.

Scilicet, ut consistat Sacramenti natura, necesse est, ut minister saltem implicite velit nomine Ecclesiæ ritum a Christo præscriptum peragere.

XXXV.

(a) *Sess. 7. can. 12.*

XXXV.

Quod quidem velle non posse arbitramur ministrum, qui libere & serio exteriorem Sacramenti ritum exercet; intus autem secum ipse statuit, se nolle facere quod facit Ecclesia Christi.

XXXVI.

Quare illorum sententia, qui cum Catharino asserunt, hujusmodi Ministrum valide Sacramentum conficere, quæcumque prava lateat in ejus animo voluntas, minus probabilem judicamus.

XXXVII.

Eam vero in praxi minus tutam esse totis viribus defendimus.

XXXVIII.

Sane ita ſcribit Bened. XIV. *Si constet, quempiam aut Baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia; urgente quidem neceſſitate, erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si autem*

res

res moram patiatur, *Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum* (*a*).

XXXIX.

Quidquid vero sit de sententia Catharíniana, ad licitam confectionem Sacramentorum certum est in ministro requiri aliquam voluntatem tum ritum externum a Christo præscriptum perficiendi, tum ut ex eo ritu resultet quod sacramentum dicitur, tum denique ut ex eodem effectus debiti consequantur.

XL.

Peccaret ergo, & quidem graviter, quicumque Sacramentum administrans secum animo decerneret: Non intendo facere quod facit Ecclesia. Præterquamquod enim hujusmodi propositum in contemptum cedit Ecclesiæ in re gravis momenti, damnata fuit ab Innoc. XI. sequens propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti*, *relicta tutiore*.

(*a*) *L. 7. c. 4. de Syn. Diæc.*

FINIS.

Publice disputabuntur Vicetiæ in Ædibus Episcopalibus Anno Domini MDCCLXXXIX. Mense Julii, die 31.

Publice disputabuntur Vicetiæ in Ædibus Episcopalibus Anno Domini MDCCLXXXIX. Mense Julii, die 31.

Publice disputabuntur Vicetiæ in Ædibus Episcopalibus Anno Domini MDCCLXXXIX. Mense Julii, die 31.